

spiritum est, & membrum Monasterii Neapolitani, numero tres, in reliquis domibus, seu membris, deputetur unus Oblatus Professus spectatae probitatis, & aetatis, qui sit ex familia Monasterii, cui domus annexa est, qui ecclesiae suppellestilis, aedium, & reddituum curam habeat.

Si quis ad formam Monasterii redigatur, cum competentis dote proleandis. Monachis, sic restituatur sub Abbatis, vel Prioris titulo gubernanda.

Novitius in Monasterio Montis Virginis, & S. Agathe de Urbe erigatur.

Qui aliorum Novitiorum Congregationis privilegia omnibus persolvantur.

Quo vero ad Novitios recipiendos, ac regendos, decreta. Sedis Ap. serventur.

Qui, & quot Novitii recipiendi sint.

dos, nisi in defectum aliorum, quo casu recipiendi munus hujusmodi ad Capitulum Generale cum Protectoris licentia spectet, & non aliter.

§. 17. Nemo etiam Abbas, Prior, vel Cellerarius creari possit in propria patria.

§. 18. Insuper duo alii Novitii Monachorum professorum arbitratu Capituli generalis constituantur, in quibus Novitii professi usque ad presbyteratus, vel saltem ad subdiaconatus ordinem, in observantia disciplinae monasticae, studiis incumbant.

§. 19. Sicut autem vestitus Novitiorum a Monachorum professorum distinctus esse debet, sic Converterum professorum vestitus a non professis distinctus omnino sit, & oblati non professi Tabanus tantum cum beretto albi coloris concedatur.

§. 20. Volumus etiam, & decernimus, ut filiationes Monasteriorum, uti habent aliae Congregationes S. Benedicti in Congregationem hujusmodi introducantur.

§. 21. Et tam Abbates, quam Priores praedicare verbum Dei in locis viginti quinque milliariis a suis Monasteriis distantibus.

§. 22. Et postquam cursum in Theologia peregerint, & quinque annos continuos legerint, gradum Doctoratus suscipere cum licentia Abbatis generalis, qui nulla tamen gaudeant exemptione, possint, & valeant.

§. 23. Ac omnes Oblati, tam hactenus professi, quam qui in posterum emiserint professionem, debeant post illam emissam, deferre scapulare parvum, latitudinis palmi, longitudinis usque ad genua, ac in ima parte ad figuram ovi redactum, cum cuculla rotunda, & sine cauda, ut dicunt, & dicto scapulari consueta, distaque professio non possit ab illis emitti, nisi de vita, & moribus a Religiosis Monasteriorum, ubi servierunt, & tunc servient, fuerint approbati, ac servatis decretis a fel. record. Clemente Papa VIII. Praedecessore nostro conditis, & publicatis; antequam vero emiserint dictam professionem, debeant gestare tunicam-oblongam dumtaxat cum mantello, & pileo.

§. 24. Hi autem omnes supradicti Oblati teneantur per annum integrum Novitiatum facere, & quae sunt necessaria, ad discere.

§. 25. Alii vero, qui recipientur ad servitia utilia obeunda, nec emittent professionem, solum unam vestem usque ad genua, & non infra oblongam, una cum mantello, & pileo ad instar laicorum saecularium habere debeant.

§. 26. Decernentes praesentes literas, ac in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, seu impugnari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari, seu invalidari, aut in jus, vel controversiam vocari, aut adversus eas, & ea quodcumque juris, & facti, vel iustitiae, & gratiae remedium intentari, impetrari, vel concedi ullatenus unquam

Abbas, Prior vel Cellerarius in propria patria non eligatur.

Novitius duo alii arbitrio Capituli generalis constituantur.

Diversitas habitus pro divinitate Monachorum.

Filiationes Monasteriorum.

Abbatibus, & Prioribus ubi praedicare possint.

Qui, & quando Doctoratus gradum suscipiant.

Oblati professionem quando emittant, & quo postea habitu utantur.

Novitiatum quae faciant.

Alii servientes quem habitum gestent.

Clause hujus Constitutionis praeservativa.

posse, sed ab omnibus, quos concernant, & concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere.

Decretum irritans.

§. 27. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac Commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarium derogatio.

§. 28. Non obstantibus nostra, ac Cancellaria Apostolica regula de privilegiis ad infir non concedendis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, nec non Congregationis, & Ordinis praedictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, eorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter, aut divisim ab Apostolica Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. die 19. Maii 1611. An. VI.

Datum Romae apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 19. Maii 1611. Pont. nostri Anno VI.

CCCXIV.

Quod Superioribus Ordinis Mendicantium liceat suos Religiosos etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam, ad Japonicas, & alia Indiarum Orientalium regiones, praedicandi, aut Christianam fidem docendi causa transmittere, servata in reliquis forma Constitutionis Clementis VIII.

PAULUS PAPA QUINTUS

Universis, & singulis praesentes literas inspecturis. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sedis Apostolicae providentia circumspicua, quae ratione suadente aliquando decrevit, experientia deinde comperto, mutatione indigere, nonnumquam immutat, prout re mature discussa in Domino iudicat expedire.

§. 1. Alias siquidem fel. record. Grego-

rius Papa XIII. praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, per suas insimili forma Brevis literas, sub Datum die 28. Januarii 1585. Pontificatus sui Anno XIII. omnibus Patriarchis, & Episcopis, etiam Provinciae Chinae, & Japonis, sub interdicti ecclesiastici, & suspensionis ab ingressu ecclesiae, & Pontificalium exercitio, aliis vero Sacerdotibus, Clericis, & Ministris Ecclesiasticis tam saecularibus, quam cujusvis Ordinis regularibus, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existerent, sub excommunicationis majoris poenis ipso facto incurrendis interdixit, & inhibuit, ne ad eas regiones, & provincias Japonicas, Evangelii praedicandi, vel doctrinam Christianam docendi, aut sacramenta ministrandi, aliave munia ecclesiastica obeundi causa, sine sua, & Sedis Apostolicae expressa licentia proficisci auferent.

Gregorius XIII. prohibuit, ad religiones Chinarum, & Japonis absque Sedis Ap. licentia pergere.

Clemens VIII. omnibus Mendicantium Ordinum Superioribus indulsit, ut spectatae vitae, & conditionis Religiosos illuc transmitteret per Lusitaniam dumtaxat.

§. 2. Postmodum autem rec. mem. Clemens Papa VIII. similiter praedecessor noster accepto quod tam Chinae, & Japonum, quam aliae illis vicinae, & adjacentes Insulae, regiones, & provinciae, ac finitima Regna Indiae Occidentalis amplissima, & populis refertissima erant, & pro tanta animarum multitudine ad fidem catholicam traducenda, & spiritualibus alimentis fovenda, plures operarii, ac Ministri necessarii erant, quam ex sola Religiosorum Societate Jesu haberi poterant, omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, seu Prioribus generalibus tunc, & pro tempore existentibus indulsit, ut cum necessitas postulasset, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae, & eruditionis Religiosos, quos nimirum ad praedicta officia, & ministeria idoneos, & utiles fore in Domino iudicarent, per Lusitaniam dumtaxat, & suscepta inde navigatione, in India, & Civitatem Goan, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere tam ipsi sic transmittendi, quam alii supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundum a suis Magistris, Ministris, vel Prioribus generalibus, seu aliis Superioribus electi, & approbati tam ad Japonicas praedictas, quam ad alias proximas, & adjacentes, etiam Chinae, & finitimorum Regnorum, & terra firmae Indiae Orientalis Insulas, regiones, & Provincias accedere possent.

Prohibuitque ne per Insulas Philippinas, vel per alia loca Indiarum Occidentaliu in Japonicas, vel eis finitimas regiones traicerent.

§. 3. Ceterum omnibus, & singulis Religiosis, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis essent, sub excommunicationis majoris, a qua, non nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo absolvi possent, nec non privationis vocis tam activae, quam passivae, ac dignitatum, administrationum, & officiorum quorumcumque, nec non inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ac exercenda, poenis ipso facto absque ulla declaratione incurrendis interdixit, & prohibuit, ne ex Insulis Philippinis nuncupatis, sive qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quae pro partibus Indiarum Occidentalium, tunc habebantur, parte ad illas pertinente, in Ja-

ponicas, & alias illis proximas adjacentes, & finitimas Insulas, Provincias, & regiones predictas, etiam quorumcumque privilegiorum, eis, vel suis Ordinibus, a dicto Clemente, & Romanis Pontificibus Predecessoribus suis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, in genere, vel in specie, etiam super facultate predicandi verbum Dei per universoni Mundum eatenus concessorum, seu in posterum etiam concedendorum, approbandorum, & innovandorum, nisi in illis de prohibitione hujusmodi, & interdito, specialis, specifica, & expressa mentio, cum sufficienti derogatione fieret, aut quovis alio preterito, & quovis colore proficisci, & transire audent, vel presumerent, & si qui eatenus, vel in posterum fecus facerent, postquam moniti essent, statim sub eisdem poenis, omni mora, & excusatione cessante, ad dictas Insulas Philippinas, vel alias partes Indiarum Occidentium reverti, & redire omnino deberent, & ad id per quoscumque Iudices Ecclesiasticos, sub eisdem, & aliis eorum arbitrio infligendis poenis cogi, & compelli possent, prout in dictis Gregorii, ac predicti Clementis predecessorum desuper etiam in forma Brevis, sub Dat. Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 12. Decembris 1600. Pontificatus sui Anno IX. confectis literis plenius continetur.

Paulus permitte per aliam viam illuc accedi posse forma. Condit. Clementis VIII.

§.4. Cum autem sicut ex insinuatione Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici accepimus, experientia compertum sit, quod prohibitio accedendi ad Indias, & Civitatem Goim alias quam per Lusitaniam, nec qui sperabatur ex eo fructum protulit, neque Catholicae fidei propagationis negotio utilis fuit; Nos pro pastoralis officii nostri debito, ut tantum opus Dei, omni sublato impedimento, libere peragi possit, quantum humilitati nostrae ex alto conceditur, providere volentes, dictarumque literarum Gregorii, & Clementis predecessorum tenores praesentibus pro expressis habentes, omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, Ministris, seu Prioribus generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus, nunc, & pro tempore existentibus, ut cum necessitas postulaverit, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae, & eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia, & munia idoneos, utiles fore in Domino judicaverint, ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes, etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam in Japonicas, & alias illis proximas adjacentes, & finitimas Insulas, Provincias, & regiones predictas, servata in reliquis dictarum literarum Clementis predecessoris forma, in omnibus, & per omnia, & non aliter, transmittere libere, & licite valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Contrarius derogatur.

§.5. Non obstantibus interdito, & prohibitionibus, ac literis dictorum predecessorum, aliisque praemissis, necnon Apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus, & uni-

versalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon praedicta Societatis Jesu, aliarumque Religionum, Provinciarum, & Regionum praedictarum juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, illis, eorumque Praelatis, superioribus, & personis etiam particularibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolica potestate plenitudine, in genere, vel in specie, ac aliis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiam pro illorum sufficienti derogatione, aliis de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, hac vice specialiter, & expresse, in quantum nostris prohibitioni, & interdito, aliisque praemissis adversentur, harum serie derogamus, & derogatum esse, & ceteri, neque illa eis ullatenus suffragari volumus, & declaramus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Et quia difficile foret, praesentes literas, ubicumque usus venerit, ostendi, & publicari; Volumus, ut earum exemplum etiam impressis, manu Notarii publici, vel alicujus dd. Religionum Secretarii subscriptis, & personae in dignitate ecclesiastica constituta, vel cujusvis ex Generalibus praedictis sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensa.

Transumptis hujus Bullae crediti jubet.

Datum Roma apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris die 11. Junii 1603. Pont. Nostri Anno Quarto.

Dat. die 11. Junii 1603. Au. IV.

CCCXV.

Institutio Congregationis Piorum Sacerdotum Oratorii Jesu Christi Domini Nostri nuncupandae, in Regno Franciae, ab Henrico Episcopo Parisiensi, & Maria Francorum Regina, ad restituendam, augendamque fidem catholicam promotae.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcro sanctae Romanae Ecclesiae, quam Dei unigenitus Jesus Christus D. N. au-

Proemium.

stor ipse piorum operum fundavit, regimini suprema dispositione praesidentes pro nobis commissi gregis dominici prospero statu, & animarum salute solliciti esse compellimur, & ea sincere tenemur amplecti, quae ad incrementum Religionis pertinent, & ad virtutum spectant ornamentum, ac pia Christianissimae Congregationes instituantur, & exinde uberiores fructus honorum operum, in illis locis praesertim, ubi id magis expedire dignoscitur, in dies per pia, & spiritualia exercitia accrescunt, & iis exercitiis debite, ac Domino famulantes personae, animarum suarum salutem eodem Domino miserante facilius consequi, ceterisque Christianissimae vitae, ac morum exemplo proficere valeant ad salutem.

Henricus Episcopus Parisiensis, & Maria Francorum Regina supplicantes, pro institutione Congregationis Piorum Sacerdotum in eo Regno, ejusque regimini Petro de Beralle Presbytero Parisiensi committitur.

§.1. Sane exhibita Nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris nostri Henrici Episcopi Parisiensis, ac Charissimae in Christo filiae Mariae Francorum Reginae, petitio continebat, quod alias cum ipsa Maria Regina pro devotionis zelo ducta, ut aliquo devotionis suae monumento, immensarum gratiarum munera, quibus eam bonorum omnium Largitor optimus decoravit, testari possit, disciplinam ecclesiasticam, undique fere in Regno Franciae haereseum, bellorumque praeceptorum injuria, tum in Religione, tum etiam in moribus non parum depravatam, ac corruptam, in primaeum, & pristinum suum statum, devotionisque, & pietatis splendorem salubri aliqua ratione restitui plurimum desideret, & id re ipsa in consultatione cum viris gravibus, & piis, ac praesertim cum d. Henrico Episcopo pluries habita mature discussa, utilius, & fructuosius, quam ex institutione alicujus Congregationis piorum sacerdotum, quorum studium, & officium, ac munus sacerdotale, juxta sanctum, atque pium illius institutum debite exequen, & adimplen. sit omnino directum, instituen, exequi posse non videatur, ipsaque Maria Regina unam devotam piorum, ac probatae vitae Sacerdotum, quorum principale institutum singulas actiones ordini sacerdotali convenientes, & essentiales amplecti, existat, Congregationem in ipso Regno, & praesertim in Civitate Parisiensi, ubi illa non parum desiderari videtur, erigi, & institui, curamque erectionis, & institutionis hujusmodi dilecto filio Petro de Beralle presbytero Parisiensi, cujus ministerium felici progressui, & directioni ipsius Congregationis maxime profuturum esse in Domino confidit, per Nos committi, & demandari summo opere desideret, pro parte eorundem Henrici Episcopi, & Mariae Reginae, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Congregationem piorum, ac probatae vitae sacerdotum perpetuo erigere, & instituire, illiusque curam dicto Petro committere, & demandare, ut praesertur, ac alias de apostolica potestate providentia consulere dignaremur.

Hic idem Pontifex Congregationem Oratorii Jesu Christi D. N.

viam salutis in hoc seculo gradientes, ad caelestia Regna pervenire mereantur procurare, praesertim ubi Catholicorum Principum vota id exposcere, ac in Domino salubriter conspiciamus expedire, considerantes hujusmodi institutionem, specialiter sacerdotes, aut personas ad sacerdotalem statum aspirantes, vel saltem eorum ministerio necessarias, ac Jesum Christum Dominum nostrum sacerdotalis dignitatis immediatum institutorem tangere, & respirare, aequum maxime, & rationi consentaneum judicamus, ut qui hujusmodi institutum aggrediuntur, ultra commune fidelium devotionem, speciali, & particulari devotioni Jesu Christi Domini Nostri ad dicantur, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, & fons sacerdotii in Ecclesia Christiana. Hinc pio, & salubri dictae Mariae Reginae desiderio favorabiliter annuere, ac ipsum opus pium muneris Sedis Apostolicae consolatione confovere, necnon Christianissimos ad pia, meritoria, & salutaria opera exercenda, ecclesias quoque, & sacra Dei templa devotionis causa visitandi aeternis praemiis, ac spiritualibus muneribus, & peccatorum remissione invitare volentes, necnon Henricum Episcopum, & Petrum praedictos, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dicto Petro apud Nos de religionis zelo, vitae, ac morum honestate, aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendato, nostram, & dictae Sedis benedictionem impertientes, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & animarum salutem, unam sub nomine Oratorii Jesu Christi Domini Nostri Congregationem, in honorem orationum quas in diebus carnis suae fudit, ut ita qui Congregationem ipsam ingredientur eundem Jesum Christum pro nobis in oratione positum, & pernoctantem reverentur, atque etiam instituti ad quod vocati sunt, moveantur, & praesertim semper hanc praecipuum omnibus communem, & omni tempore congruentem officii eorum partem, quae in orationibus pro populo, ac in Dei laudibus celebrandis versantur, habeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium sine alicujus praedicti perpetuo erigimus, & instituimus.

nuncupandam, pro Pius Sacerdotibus instituit.

§.3. Diciturque Petrum in Institutorem Praepositum generalem hujus piorum sacerdotum, nulli antea religioni voto solemniter addictorum, nec non, & aliorum ad praesbyteratus ordinem promoveri cupientium, & reliquorum ad familiaria officia necessariorum Congregationis Oratorii Jesu Christi Domini Nostri nuncupan. hujusmodi, qui simul, & in Societate religiose vivere, & humilitatis spiritu, & piae vitae studiis al-

Disiunctum Petrum deputatum Praepositum dicte Congregationis Piorum, Sacerdotum, qui simul religiose vivant eorumque sit praecipuum, institutum, perfectioni ita

1620. eius sacerdotis tota hinc incumbere.

Dat eadem facultatem Congregationes ejusmodi in locis ad que vocatus fuerit per Ordinarios, in- struendi, & alia quacum- que neces- saria praestandi.

Eas tamen Congregationes, a Congregatione Parisiensi de- pendere de- ceant.

Quam Congregationem Parisiensem duo-

alissimo famulatum exhibere, & impende- re studeant, quorum principale, ac prae- cipuum institutum sit, perfectioni status sa- cerdotalis totaliter incumbere, singulasque actiones ordini sacerdotali proprie, & es- sentialiter convenientes, sibi ab eorum Or- dinariis, ubi stabilita fuerit, praescribere, & non alias amplecti; Sacerdotum insuper, & aliorum ad sacros ordines aspiran. instru- ctioni, non circa scientiam, sed circa usum scientiae ritus, & mores propriae ecclesiasti- cos, se addicere volentes.

§. 4. Cum plena, & omnimoda facul- tate, potestate, & auctoritate eidem Petro per Nos ad id assumpto, & a dicta Maria Regina summopere commendato, ut praedictam Congregationem hujusmodi tam in Civitate Parisiensi, quam in omnibus aliis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis ad que a locorum Episcopis vocatus fuerit, & non alias, instituerent, ac demum pro felici statu, & directione personarum, ac bono- rum spiritualium, & temporalium ejusdem Congregationis, seu Congregationum sic erigen. tam circa receptionem, & admis- sionem, numerum, aetatem, & qualitates in ipsa Congregatione recipien., & admitten. eorumque instructionem, & disciplinam, exercitia, ac modum, & formam divinarum Officiorum, precum, & orationum, aliorum- que suffragiorum recitan., & alia ipsis Con- gregationibus utilia, atque necessaria qua- cumque statuta, ordinationes, & capitula licita, & honesta, facillime Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, necnon Con- cilio Tridentini decretis minime contraria a sancta Sede Apostolica postmodum ap- probanda, confirmanda, ac per ipsarum Congregationum Praepositos, presbyteros, officiales, ministros, & coadiutores, sub poenis in eis apponens., adimplen., & obser- van., faciendi, edendi, & condendi, facta- que, edita, & condita, quoties pro illorum, ac rerum, & temporum qualitate, & vicis- situdine, seu alias videbitur, corrigere, li- mitari, immutari., alterari., ac etiam alia, ut praefertur, examinan., & approban., ac etiam, ut praefertur, adimplenda, & obser- vanda, ex integro facien., & conden., alia- que omnia, & singula a similibus Congrega- tionum, necnon quorumcumque Ordini- um approbatorum constitutoribus, aut aliis Superioribus etiam generalibus, de ju- re, vel consuetudine, sive ex privilegio, aut aliis quomodocumque fieri, & exequi solita, facien., & exequen., dicta auctoritate depu- tamus, & assumimus.

§. 5. Omnesque alias ad instar supradic- ta per Nos sic erectae, canonice erigen. Congregationes, quas ab ea Parisiensi, & a dicto Praeposito generali ubicumque loco- rum stabilita fuerint, in omnibus depende- re volumus, & intelligimus, ex nunc, prout postquam auctoritate praedicta erectae fue- rint, eidem auctoritate, & tenore perpetuo approbamus, & confirmamus.

§. 6. Ita tamen quod Congregatio Pa- risiensi saltem duodecim presbyteris constet, tot redditus annuos habere debeat, ex

quibus unicuique presbytero hujusmodi portio annua quadraginta quinq. ducato- rum auri de Camera obvenire possit. Ce- terae vero Congregationes decem ad minus presbyteros, ac eosdem redditus annuos, vel quae Sedis praedictae Legatus, aut pro tempore existens Nuncius Apostolicus, & Episcopus loci, ac dictae Congregationis sic erectae Praepositi generalis, pro loci quali- tate sufficere judicaverit, habere debeant.

§. 7. Et postremo eidem Congregatio- nibus ex nunc, prout etiam postquam insti- tuta, & erectae fuerint, ut praefertur, pro illarum dote, & dicti Petri, nec non Prae- positi generalis, & presbyterorum eorum- dem pro tempore existentium sustentatione, onerumque illis incumbentium sup- portatione, omnia, & singula, res, bona, fructus, redditus, & legata, ac elemosinas tam per dictam Mariam Reginam, quam alios quoscumque Christianos distis Con- gregationibus quomodolibet relinquenda, donanda, & elargienda (ita quod liceat dicto Petro, vel alii Praeposito generali, & presbyteris dictarum Congregationum, pro tempore existentibus, illorum omnium corporalem, realem, & actualem possessio- nem, per se, vel alium, seu alios dic- tarum Congregationum nomine libere ap- prehendere, & perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, & proventus, jura, ob- ventiones, & emolumenta quacumque eorumdem percipere, exigere, levare, re- cuperare, ac in dictarum Congregatio- num usum, & utilitatem convertere. (Dio- cesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita) etiam perpetuo ap- plicamus.

§. 8. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, & synoda- libus Conciliis editis generalibus, vel spe- cialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac Literis Apostolicis, quibuscumque Superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis de- rogationis, aliisque efficacioribus, & insoli- tis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices Praedeces- sores nostros, & Sedem praedictam, ejusque Legatos quavis causa, & occasione, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolica potestate plenitudine, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & in- novatis quibus omnibus, etiam si de illis, eo- rumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita observata, nihilque penitus omissis, inserti forent, illis aliis in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse deroga- mus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Ceterum ad augendam fidelium de- votionem, animarumque salutem consulendum, & ut

decim saltem presbyteros, alias autem decem habe- ro praecipit, cum opportuna reddituum assignatione.

Legatorum, & elemoly- narum rece- ptionem eis- dem Congre- gationibus concedit.

Contrariis derogat quibuscumque.

Indulgentias personis dictis.

& ut Christiani ad hujus instituti exerci- tium animentur, atque invitentur, de omni- potentis Dei misericordia, ac B. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis presbyteris, qui perpe- tuis futuris temporibus dictam Congrega- tionem ingredientur, & in ea recipientur, eorumque coadiutoribus, & oblati, aliisque ministris die eorum, & cujuslibet ipsorum ingressus, receptionis, ac professionis, ac in mortis articulo, si poenitentes, & confessi, ac sacra communione refecti fuerint, ple- nariam indulgentiam, & omnium peccato- rum suorum remissionem, eidem auctori- tate, & tenore misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Postremo eis- dem Praeposito, Presbyteris, Coadiutoribus, Oblatis, & aliis Ministris praedictis, qui Congregationibus publicis, vel secretis, pro quocumque opere pio exercendo inter- fuerint, aut piam aliquod opus circa- funciones suas exercuerint, toties pro quo- libet praemissorum piorum operum, & ut magis ad sui instituti opera animentur, & suavius ad ea invitentur, sexaginta dies de- junctis eis, vel alias quomodolibet debi- tis poenitentis, etiam apostolica auctori- tate, & tenore hujusmodi misericorditer re- laxamus, necnon tam ipsis, quam omnibus aliis Christianis, qui etiam vere poeni- tentes, & confessi, ac sacra communione refecti eorumdem Presbyterorum Eccle- sias, aut Oratoria, in Sanctissimi Corporis Christi, & Assumptionis B. Mariae Virginis festivitatum, ac in quo Ecclesia, seu Orato- ria ad Presbyterorum in unaquaque dioece- si, seu loco prima vice populo aperientur, diebus devote visitaverint, simili apo- stolica auctoritate, tenore praesentium, etiam Indulgentiam plenariam, & omnium pec- catorum suorum remissionem, concedimus, & elargimur, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

Datum Tusculi Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi 1613. sexto Idus Maii, Anno Octavo.

CCCXVI.

Confirmatio Constitutionum Congregatio- nis Oratorii a Beato Philippo Nerio in Urbe fundatae: Et prohibitio, ne quavis Congregatio, Constitutiones sub denomi- natione dicti Beati Philippi promulgare, aut ejusdem Instituti domos in Urbe in- stituere possit.

Congregationem istam approbavit Greg. XIII. in Constit. CLXXXVI. Copiosus. Tom. IV. Par. IV. fol. 108.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procedimus: Christianissimum quorumlibet, praeser- tim Altissimo in humilitatis spiritu fa- Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

mulantium votis, quae felicem eorum, pro- speramque directionem, & gubernium concernunt, libenter annuimus, eaque favo- ribus prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fe- cerunt dilecti filii Praepositi, & Presbyte- ri Congregationis Oratorii, in Ecclesia Sanctae Mariae in Vallicella nuncupata de Urbe instituta, quod ipsi quaedam Consti- tutiones, & ordinationes pro felici dictae Congregationis regimine, & spirituali pro- gressu conscripserunt, illasque non semel examinatas, ac etiam mandato nostro re- cognitatas, in unum volumen redegerunt, tenoris subsequenter videlicet.

C A P. I.

De Oratorio, & Oratione.

Vere locum orationi destinatum Orato- rium dicimus; nam familiaris in ipso nota divini Verbi tractatio, post hac tra- ctanda, iam adulta, & in Ecclesiam nostram translata nomen minus accomodate retinuit Oratorii, in quo scilicet tam exteri, quam nostri quotidie vespere, post orationem quam dicimus mentalem, consuetas lita- nias recitant, aut singulis ter hebdomadis, quae est voluntaria corporis castigatio, sup- plicio flagellorum sese afficiunt. Festis item diebus a Kalendis Novembris, usque ad sanctam Christi Domini resurrectionem, non modo supplicationibus, sed etiam fa- miliari cohortatione, & musico concentu excitantur ad coelestia contemplanda. A Resurrectione vicissim Dominica usque ad Kal. Novembris, post officium vespertinum in Ecclesia a nostris decantatum, & audi- tum sermonem, in suburbanum quempiam locum, vel (si per calores aestivos non liceat) in templum aliquod ad has rerum divinarum tractationes intra Urbem conve- nire solent. Singulis praeterea diebus Do- minicis, nisi nostro sit in templo concio- nandum, mane lectis Litanis, & sermone opportuno de documentis praesertim evan- gelicis familiariter habito, declarantur ex exteris, qui septem primarias Urbis Eccle- sias, ac tres domos infirmorum publicas hospitales infra hebdomadam aliquando vi- sident. Harum omnium cura rerum Prae- fectum attingit Oratorii, e nostris constitu- tum sacerdotibus, vel adiutorem, ut alte- ruter his ritibus praesit, salutiue consuen- tum consulat externorum, quibus etiam praesenti ope pietatis officia, in valetudina- riis erga egrotos festis diebus proponat exer- cenda. Ex exteris item fratribus idoneos ad certa Oratorii munia deligat, & in pri- mis Rectorem, caveatque ne ulla ex parte Constitutioni derogetur, quam Congrega- tio his verbis expressam voluit.

Praefectus Oratorii nostri nullo modo permittat exteris officialibus in eo constitu- tis, ut in aliquid se rerum, aut negotiorum ingerant ad ipsum locum, vel institutum quoquo modo pertinentium, quod ipse non

Congregatio Oratorii in Urbe suas or- dinationes sta- tuit, & pro confirmatione Papae suppli- cavit.

eis præscripserit, nullum enim huiusmodi jus, aut potestatem habere possunt. Ne quid præterea innovetur, ibi hætenus observatum; de rebus præsertim gravibus ad Oratorium spectantibus quibuscumque Præpositum Congregationis nostræ consulat, penes quem rerum Oratorii, & Congregationis eadem est gubernatio;

Hæc satis, ut appareat, qua via sint externi frequentiores in Oratorio ad contemplationem, & amorem divinorum promovendi. Nostris autem eiusmodi instituto magis deditis, id etiam maxime adhibendum, quod a Beato Philippo Patres edocti, ad hunc modum constituerunt.

Horas suas quilibet meditationibus præstitutas, in quibus majores quotidie progressus faciat, Deum cœlestique amando, & appetendo, quod Superiores pro sua caritate, ac prudentia sæpius unumquemque admonere, & qui huiusmodi studiorum fructus constet, animadvertere debent. Habeant igitur, quæ orationi, & meditationi seponant, statuta tempora, & præter hortatorem Præpositum, quem audiant, etiam sacerdotem sacris familiæ nostræ confessionibus audiendis præfectum, qui pro sua quemque prudentia ad hæc divina studia, sequirem incitare solet, vel nimis incitatum, cum fuerit consentaneum; moderari.

Cæterum ob alias plurimas occupationes sibi proximisque salutare, aliud nullum mane, vel die orandi tempus, ac spatium sibi præfinitum capiunt, & consignatum, quam quod arbitrato quisque suo eiusmodi meditationibus, & sacris precibus, pietateque dederit. Ad Vesperas autem, sicuti dictum est, in Oratorium publicum externis etiam quibusque viris patens, & expositum ad orationem, unde nomen accepit, seduli convenire debent. Sed de omni orationis, & flagellorum in Oratorio ritu, & consuetudine, deque piis externorum officii, infra post alias constitutiones, in huius capituli appendice agendum est.

C A P. II.

De Ecclesia, & Divinis Officiis.

Congregationis nostræ Sacerdotes, utpote divinorum administrari, in Ecclesia sæpius præsertim diebus frequentes adsunt, alii confluentibus divina mysteria præbent, alii ad sacras confessiones audiendas intenti, a prima luce ad horam usque prandii e subselliis suis, non nisi necessitate impulsu recedunt. Sacrum omnes quotidie peragunt, & cæteri inserviunt, potissimum Clerici, qui cum res ipsa sacra solemniori ritu, & musico concentu celebranda est, bene mane descendentes in sacrarium, sacerdotes pia diligentia sacris vestibus ornant, & solemniori sacrificio præsentent, ac diversa munera obeuntes, ab ipsa Sacrorum custodia, aut ecclesia, dum datur divinis opera, numquam recedunt; de rebus autem ad ecclesiam spectantibus hæc sunt nostris proposita decreta. In ecclesia nostra nullæ erunt statuae vitæ

functorum, sive ex marmore, sive ære, sive gypso, aut alia materia.

Diebus festis semper solemniori apparatu, tam Missa, quam Vespera celebrabuntur. Erunt etiam Vespera solemniores in Vigiliis Corporis Christi, Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, & Consecrationis Ecclesiæ nostræ ad x. Kal. Junii, cujus octavæ redditur officium, & infra eam gratissima nobis recurrit memoria dormitionis B. Philippi Patris nostri, ad viii. Kal. Junias. Præterea intra octavam Corporis Christi Vesperas quotidie decantamus.

Singulis similiter annis iv. Kal. Februarii die festo SS. Papat, & Mauro martyribus, solemniori apparatu celebratur, & mane ejus diei festi res sacra, Diacono, & Subdiacono ministris peragitur. Vespera in Vigilia, & ipso die festo, musico concentu decantatur. Porro in Vigilia etiam matutinae laudes ante coenam, coram sacris eorum Reliquiis, Sacerdotibus, & Clericis nostris una recitantur, ut debitus honor Patronis Ecclesiæ, & Congregationis exhibeatur.

In traslatione vero, quæ contingit iii. Idus Februarii idem servatur. Missa tamen, & Vespera solemniori non decantantur.

Dies etiam festus Sancti Gregorii Papæ, Congregationis, & Ecclesiæ nostræ Patroni, iv. Idus Martii, est nobis tam in primis Vesperis, quam in missa admodum solemnior.

Alios item Sanctos, quorum sacris Reliquiis, vel insignioribus aucti sumus, Ecclesiasticis officiis singulariter veneramus, nam iv. Nonas Maii Nereum, Achilleum, & Domitillam martyres, duplici.

vii. Nonas Julii Paternuthium, Co-pretem, & Alexandrum martyres, quibus dicatum est Altare, semiduplici.

vi. Kal. Augusti Pantaleonem martyrem, semiduplici.

xi. Kal. Novembris Ursulam, & Socias Virgines, & martyres, semiduplici.

xix. Kal. Jan. Spiridionem Episcopum, & Confessorem, semiduplici similiter prosequimur.

Quamvis vero nostris Ecclesiasticis officiis, Vesperis dierum festorum exceptis, ecclesiam non frequentent; cum tamen habetur aliqua singularis celebritas anniversaria, ut die festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis ad candelas; in capite jejunii ad Cineres; Dominica Palmarum ad olivas; consuetis majoris Hebdomadæ diebus ad matutinas, Missam, aliasque solemniores ejus temporis cœremonias; die iussuper festo omnium Sanctorum ad Vesperas, præter consuetas etiam defunctorum, item ad matutinas, sicut mane ad Missam; Nocte tandem Nativitatis D. N. Jesu Christi ad matutinas, in Chorum ecclesiæ convenire solent.

Sed jam ab hisce feriis veniamus ad funera.

Cum enim aliquis e nostræ Congregatione e vita decesserit, singuli Sacerdotes tres Missas celebrabunt pro vita functo, qui vero Sacerdotes non fuerint, novem coronas recitabunt, in loco vero ubi defuncti corpus fuerit præfens, recitabitur officium defun-

defunctorum: si mane fuerit celebrabitur Missa solemnior, si minus sequenti die Diacono, & Subdiacono ministris, sex candelis accensis in Altari, & quatuor facibus juxta corpus. Absoluto autem officio, duæ ex illis remaneant usque ad sepulturam, quod si absens obierit, privatim recitabitur; Sacerdotibus nocturnum officium defunctorum. Missa vero solemnior, ut supra, singulis item annis infra octavam omnium Sanctorum, celebrabitur Missa solemnior pro defunctis nostræ Congregationis.

Sine consensu Præpositi, & Deputatorum, res sacra non celebrabitur solemniori apparatu pro vita functis exteris, videlicet Diacono, & Subdiacono ministris, nec id ipsi facile concedent, nisi mortuus Prælati extiterit, aut eximia dignitatis, & honoris inter laicos, aut certe valde benemeritis de nostræ Congregatione.

Nullum recipietur a Congregatione nostræ legatum de re sacra perpetuo peragenda, nisi forte iustissima causa intercedat, & ex consensu Patrum expleti decennii.

Quæ autem hoc in loco de sacris confessionibus videntur ponenda, hæc habemus. Singulis diebus ferialibus, aliquis ex Sacerdotibus ad hoc muneris delectis morari debet in Ecclesia ad confessiones audiendas. Feria vero quarta, & sexta, mane usque ad horam prandii omnes, festis pariter diebus omnes excubare.

Nemo tamen eorum admittitur ad audiendas confessiones sine Patrum consensu, qui exegerint decennium in nostræ Congregatione.

C A P. III.

De salutari familiarium sermonum usu tam in Ecclesia, quam in Oratorio.

IN Ecclesia nostra, die Sabbatho ad vacandum excepto, quatuor quotidie, nisi etiam dies festi sint, cum aliquis tantum unus sermocinari solet, e Sacerdotibus nostris, qui fuerint ad hoc oneris, munerisque delecti, ordinata successione, verba ad vulgi præsertim captum accomodantes, & ad nullam proflus pompam, vel vanum populari applausum declinantes, genere dicendi vere fructuoso audientium, animos pascunt. Sanctorum præsertim exemplis, ac probatis historiis sermonem confirmantes. Vitanda enim sunt eis quæstiones difficiles, dogmatum tractatus, & quæcumque scholas decent magis, quam Oratorium. Est autem ejus consuetudinis, qui provide negocium id curet, stato tempore ad Ecclesiam descendere, & inter alia, quæ paranda sunt, horologium arenarium juxta sedem sermocinantis ponere, & librum aliquem de salutariibus scriptum præceptis, aut de Sanctorum dictis, & factis, ubi octo, aut decem auditores præfentes viderit leſitare, cum vero quindecim, vel ut summum viginti, ære campano hora consueta signum dare, quo ille quidem auditore cui primo dicitur. *Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.*

endum est, ad locum festinat, & postquam legentem paulisper audierit lineam sedem sex, vel octo circiter graduum ascensu sublimem, conscendit, arenarium horologium juxta positum invertit, quod semihoræ spatium præfinit, & nullo usus proœmio, ab argumento præsertim, quod in libro lectum est, sermonem orditur. In medio ejus sermone surgit custos ad signum eadem grandiori campana iterum dandum, quo habito alter dicturus secundo loco huc properat, & tantisper expectat, dum primus finem dicendi fecerit. Eodem penitus modo secundo succedit tertius, & tertio quartus, nec horum cuiquam amplius hora dimidia datur, nec horologio solum, sed tintinnabulo, cum opus est, ad finiendum admonentur.

Sermonibus absolutis sacer concentu musico canitur hymnus, quo expleto, is, qui dixit ultimus, ad orationem Dominicam, & Angelicam salutationem ter secreto recitandam invitat, & concio dimittitur. At Dominicis, cæterisque diebus festis, eorum unus, quibus ad dicendum sunt ejusmodi dies consignati, in Ecclesia post vespertinum officium decantatum sermonem habet, cui semihoram aliquantulum præterire, non tamen certas jam enarratas dicendi leges, liberum esse debet. Eisdem diebus a kal. Novembris usque ad celeberrimum Christi Domini resurrectionis diem, sicut etiam Dominicis, mane toto anno ab aliquo ex nostris sermo in Oratorio habendus est, sed hac de re alias, nunc satis est referre nostras Constitutiones hæc pertinentes.

Ad sermonem habendum in Oratorio nullus admittetur ex nostris, absque consensu Patrum, qui decenniam expleverint in Congregatione.

Ex exteris vero nullus invitandus ad concionem habendam in Oratorio, vel Ecclesia, nisi ex Præpositi, & quatuor Deputatorum consensu.

C A P. IV.

De statu Congregationis Oratorii perpetuo.

Nunc statum, & formam Congregationis nostræ penitus immutabilem in promptu ponimus duobus decretis expressam. Horum primum his verbis sancitum est.

Cum nostræ Congregatio solo caritatis mutæ nexu, neque ullis astricta votorum, juramenti, aut promissionis huiusmodi vinculis olim per Beatum Patrem Philippum Nerium, fuerit divina inspiratione instituta, atque hæc fuerit ejus, & omnium Congregationis Patrum mens semper unanimes, ac sit, ut ita perſeveret, decretum est, si quando aliqui ex nostris putaverint ab hoc statu recedendum, & alligare Patres, fratresque ullis votorum jurisjurandi, aut promissionis vinculis, etiam si isti majorem partem conficiant, ut

fit ipsis quidem liberum, quam velint ingredi Religionem, sed altera pars quamvis numero longe impar, habeat omnia bona Congregationis quocumque loco posita, quandiu perseveraverit in hoc statu, nec alteri quicquam dare, vel acquisitum, vel acquirendum teneatur. Sic enim conferabitur in Ecclesia Dei circumdata varietate. Haec tenet decreti verba, ut inde etiam appareat parentem optimum in Christo nostrum adduci non potuisse, ut suos alia via filios duceret, qui pro christiana caritate religiosos homines tam religiose coluit, & pro singulari prudentia sanctissima tot Ordinum instituta votorum vinculis religare se volentibus, eo tempore ad omnem christianam disciplinam praestantiam satis esse noverit.

Alterum decretum est: Ne quis praetextu amplificandae Congregationis, eam dissipet, atque ut confusio vitetur, quam multitudo parere solet, arctiusque inter se, qui sunt e Congregatione amoris vinculo colligentur, quem quotidiana consuetudo conciliat, ac mores cujuslibet ipsorum ex hoc cognosci possint, & notorum vultus cuncti reverentur, statutum est, ne Congregatio alibi ullum locum recipiat, neque alterius Congregationis regendae suscipiat onus. Si quae vero aliorum locorum Collegia, & Congregationes nostra instituta obtinerint, & servare voluerint, non sint illa quidem nostrae annexa, neque Clericorum sint e Congregatione Oratorii Romani, quemadmodum esse debet instituti, ut unaquaque domus, aut familia, nostrae formam imitata, separatim ab aliis se per se regat, & moderetur.

C A P. V.

De Praepositi, & quatuor Presbyterorum deputandorum electione, & munere.

AD Congregationis, rerumque ad ipsam spectantium gubernationem, & curam, Praepositus primum eligitur, quem etiam Patrem appellamus, deinde quatuor Presbyteri deputantur, de quorum omnium electione, & munere sic decernit Congregatio.

Nullus Praepositus eligitur, qui in nostra Congregatione quindecim annos non permanserit, quo temporis spatio Deputatus vel Ministri sit functus officio, & qui aetatis suae annum quadragesimum saltem non attigerit.

Electio Praepositi pertinet ad omnes Sacerdotes Congregationis, qui exacto decennio fuerint admissi ad ius suffragii ferendi; Laici vero certo sciant, se nihil ad electionem Praepositi, Deputatorum, Praefectorumque juris habere, munia assignata ex praescripto dumtaxat obituri.

Tam Praepositus, quam Deputati, & ceteri Officiales eligi possunt etiam absentes.

Praesens debet in electione, absentia-

que Praepositi, quasi Superior, qui primum e Sacerdotibus nostris tenet post Praepositum in Congregatione locum.

Fiet autem Praepositi electio hoc modo. Qui erit a secretis, singulis electoribus schedulas dabit, in quibus scriptum, vel typis impressum sit nomen eligendorum, ut illas in vas conjiciant, videntibus duobus ad id muneris deputandis. Eductus autem eisdem duobus cernentibus a Secretario clara voce legetur, & electus is erit Praepositus, in cujus electionem convenerint Electores medietate plures, hunc sane modum eligendi, donec consentiant, decies repetere possunt, post decimum vero scrutinium, si necdum in unum pars major media conspicerit, compromissum fiat, ut scilicet quinque solum ex electoribus Praepositum e duobus tantummodo deligant, in quos plura suffragia ex quacumque disquisitione haec tenet collecta concurrerint, quod exemplo declaratur. Si enim duo, vel plures octavum sibi numerum in suffragiis obtulerint, vel unus, aut plures octavum, alii vero septimum; tunc ceteris omnibus rejectis horum tantum electus electoribus habendus est. Ipsi autem electores quinque compromissarii, quibus scilicet datum est arbitrium deligendi Praepositum, in ipsa tunc simul Congregatione ita sunt deputandi, ut singuli ad eam electionis potestatem plures sibi suffragantes habeant (non enim plura medietate suffragia in ipsis deligendis requiruntur) & ex illis constituantur, qui non fuerint inter primos eligendos numerati, his enim duobus eo tempore, nulla ad hujusmodi electionem relinquatur facultas, sed activa simul, ut dicitur, & passiva voce privantur.

Si quando tandem schedulis eductis compromissarii pares extiterint, electus habeatur, qui debito in Congregatione sibi loco aliis pariter concurrentibus praestat.

Tres annos duret Praepositi munus, & confirmari possit tertio quoque anno Congregationis arbitrio. Ad eandem mensam una cum ceteris accedet, & affidebit, nisi impediat in valetudo.

Nihil singulare habeat in Ecclesia, mensa, cubiculo, domi, forisve praeter locum primum, & laicum ex nostris a deputatis assignandum, qui omnem in eius obsequium conferat operam.

Circa rem familiarem, & bona Congregationis, administratione utatur accurata, praestetque nostris ad victum, & vestitum necessaria. At vero pauperibus, aut aliis, qui non sunt ex nostra Congregatione, quolibet mense nummi aurei summam poterit largiri. In majori quidem summa quotiescumque ejusmodi largitionum se dederit occasio, quatuor Deputatorum requiritur consensus, cum vero decem nummos aureos excedere contigerit, totius Congregationis. Idem in aliis cujuslibet completi operis, aut negotii servet impensis extraordinariis, & ad victum, aut quotidianum familiae nostrae usum nihil attinentibus.

Totius Congregationis gubernanda

omniumque curandorum, quae ad eam spectant, prima potestas sit penes Praepositum, ad ipsum enim solum pertinebit Congregationem, si opus fuerit, convocare, tractanda proponere, rite constituta perficienda curare, exigere quoque rationem actorum, vel agendorum a singulis nostrorum, quibus est aliquod munus, vel onus quomodo libet ubique locorum mandatum, & videre, ut singula recte expediantur. Convocabit ad hoc Congregationem quatuor Deputatorum saltem qualibet hebdomada, sine quorum consensu nihil agat, quod spectet ad universalem gubernationem Domus, & eligendos, aut amovendos officiales. A Praeposito enim, & quatuor Deputatis ceteri Officiales, & Ministri triennium duraturi eligentur, excepto Confessario, ad quem eligendum plures ex electoribus venire debent in ipsa Congregatione proxime post Praepositum, & Deputatos electos, horum enim nullus ei muneri praeficiendus est.

Domesticis autem officiis Praefecti, quos Officiales dicimus, suis nominibus satis noti sunt, qui sequuntur.

Sacerdos a Confessionibus.

Corraptor ex senioribus, qui secreto corripit errantes.

Minister, qui rebus domesticis administrandis, Praepositi sententia consultat, & explorata, det operam.

Praefectus Sacrarum, cujus paterna cura Sacrarum ministerio assignati committuntur, sicut Ministro ceteri Laici omnes.

Custos Sacrarum.

Praefectus Oratorii, & Adjutor.

Praefectus Sermocinantium in Ecclesia.

Praefectus Coereptorum.

Praefectus Musicae.

Receptatores Hospitum duo.

Monitor precum, quas debemus commendatis, in mensa Vesperti.

Tyronum Praefectus.

Custos depositae pecuniae.

Negociorum domesticorum Procurator, & adjutores.

Bibliothecarius, & adjutor, qui non permittant e communi Bibliotheca libros extrahi.

Minister infirmorum, & adjutores.

Praefectus adificiorum, & adjutor.

Praefecti corrigendis legentium erroribus in mensa duo.

Aromataria Praefectus, & Aromatarius.

Pecuniarum exactor, & dispensator.

Custos suppellectilium.

Cellae poenariae custos.

Cellae vinariae custos.

Custos Triclinii.

Janitores.

Hos praesertim Congregatio singulos hujusmodi Constitutione voluit admonitos.

Nemo munus a Congregatione, seu Praeposito, & Deputatis demandatum recuset, sed omni animi dimissione suscipiet, quod si aliqua ex causa sibi recusandum judi-

cabit, postquam ea, quae senserit, debita modestia semel, aut iterum exposuerit, nec Praepositus, & Deputati approbaverint, injunctum munus sine ulla amplius excusatione accipiet.

De Deputatis autem cum Praeposito eodem tempore eligendis, haec habentur.

Post electionem Praepositi statim eligentur ei quatuor ex Presbyteris, qui decennium transegerint in Congregatione, ex quo sunt admissi ad primam probationem, & jus habeant eligendi a tota Congregatione, de quorum consensu, ut dictum est, cuncta a Praeposito agentur, quae ad universalem Congregationis gubernationem pertinere ipse judicaverit.

Ab eisdem ergo Presbyteris omnibusexacti decennii eodem modo, quo supra, usque ad tertium scrutinium, eligentur quatuor Deputati, singuli sepe in eadem Congregatione, post tertium vero scrutinium, nullo facto compromisso duo eligantur, in quos plura fuerint suffragia in illa trina disquisitione collata: si vero plures pariter concurrant eligendi, duo tantum ceteris rejectis ad electionem pervenire possunt, illi scilicet, qui aliis de more praere debeat in Congregatione, exemplum proponimus. Si scrutinio ter peracto, in octavum alter suffragiorum numerum pervenerit; alter vero in septimum hos dicimus duos, ceteris omni suffragio privatis ad Deputati munus per scrutinium provehendos: quod si plures septimum illum numerum obtineant, ille ex eis scrutinio similiter eligendus erit, exclusis aliis, qui debeat eis in Congregatione antecedere, si rursus paria duorum fuerint eligendorum suffragia, is similiter habeatur Deputatus: qui ex instituto alterum inter nostros sit solitus anteire.

Unus a quatuor Deputatis triennii praeteriti (tres enim annos durat cujusque munus) aut etiam si placebit, duo confirmantur in tres alios annos, qui post illos confirmari amplius non possunt.

Ex deputatis item eligitur aliquis a Secretis ex ipsorum consensu deputatorum, qui singula decreta a Congregatione universali, vel a Praeposito, & quatuor Deputatis, in libro ad haec conficiendo notabit, & literas, ad quos contingerit, scribet. Literae autem omnes, quae negotia continent, in alio libro sunt exscribendae.

Deputatorum erit praeterea, cum Praepositus decesserit, vel finierit ejus munus, seniorem praedictum monere, qui ejus vice interim fungitur, ut convocet ad electionem Praepositi convocandos: quod si ille negligat, ipsi convocabunt.

Si nemine dissentiente ipsis videbitur cessatio muneris concedenda, vel indicenda Praeposito, ob justam causam, quatuor e Sacerdotibus exacti decennii advocabuntur, quod si his videbitur, eisdem convocent Congregationem, a qua deponatur, & eligatur novus Praepositus, sicut jam supradictum est, eo modo tamen servato in Praeposito depo-